

AB
37 10
i,6

D. f. 55

ovftt

90 A



9 & 9.
~~2 A 125~~
~~X~~ 4^{to}


d

SENTENTIA

PER SANCTISSIMUM D. N.
Paulum Papam tertium, De Reuerendissimo-
rum ac Illustrissimorum Dominorum S. R. E.
Cardinalium consilio: & assensu in causa Hil-
desemeñ, Spolijs castrorum, ac bonorū &c. Pro
Reuerendiss. P. D. Valentino Episcopo Hilde-
semeñ. Contra Ericum, & Henricum Duces
Brunsuiceñ. Magna grauitate, ac summa ma-
turitate Consistorialiter lata: Cum summaria
Actorum causæ narratione: ac diuersorum Re-
uerendissimorum D. Cardinalium, & Iu-
dicum designatione, Coram quibus
successiuè Causa ipsa annis fe-
rè XX. pependit, &
uentilata fuit,

ROMAE.

ANNO DOMINI, M. D. XL.



**In nomine sanctissimae, et indi-
viduae Trinitatis, Patris, et Fi-
lii, et Spiritus sancti. Amen.**



VM iustum: decens: & operæ pre-
cium fore dinoscatur, ut testimoni-
um Veritati perhibetur: ac ea quæ
iudicio terminata sunt, ne successu
temporis de illis hæsitari contingat: & sub igno-
rantia facti quis iure suo frustretur, cunctis fi-
delibus innotescant. Idcirco uniuersis, & singu-
lis, ad quos præsens sententiæ instrumentum
peruenerit, tenore præsentium intimo, notum
facio, & attestor: quod postquam orta inter Io-
hannem olim Episcopum Hildesemensem, &
uenerabiles uiros, Decanum, Canonicos: & ca-
pitulum: singularesq; personas ecclesiæ Hilde-
meni. Actores ex una: & illustres uiros Domi-
nos Ericum: & Henricum Duces Brunsuicen-
ses, ac consules: consulatus: & communitates
Oppidorum Brunsuich: Hannouer: Nort-
hem: & Gottingen: Hildelmeni. Halberstadeñ.
Minden. & Moguntineñ. Dioces. respectiuè
aduersarios reos: & conuentos ex altera par-
tibus: de, & super inuasione, Spolio, Occupa-

A 2

DRA

tione, ac detentione Castrorum, Oppidorum,
Castellorum, Municipiorum, Villarum, Mo-
nasteriorum, & ecclesiarum, aliorumq; bono-
rum omnium, tam in spiritualibus, quam tem-
poralibus, ad ecclesiam, Episcopū, & mensam
Episcopalem Hildesemēn. quomodolibet spe-
ctantium: & pertinentium. Materia questionis
fœlicis recordationis Adrianus Papa vi. Cau-
sam huiusmodibonæ memoriae Mercurio de
Vipera Episcopo Balneoregiēn. tunc in huma-
nis agenti, & in minoribus constituto, ac Cap-
pellano suo, & causarum palatiū apostolici au-
ditori audiendam commiserat, & fine debito
terminandam. Et dictus Mercurius Episco-
pus tunc auditor, in causa sibi commissa huius-
modi ad nonnullos actus (citra tamen conclu-
sionem) processerat, ac eodem Adriano Papa
(sicut domino placuit) de medio sublato, cau-
sam ipsam de mandato piæ memoriae Clemen-
tis Papæ viij. ad summum apostolatus apicem
assumpti, debitè resumpserat: inter partes præ-
dictas, seu earum procuratores, ad nonnullo-
rum testium examinationem: & alias ulteriores
actus (citra causæ conclusionem) processerat.
Eodemque Mercurio uita functo, Præfatus
Clemens Papa causam ipsam super Articulo:

An ad

An ad tribunal Cesareæ Maiestatis, uel ne, remittenda foret, etiam bone memoriæ Petro Episcopo Sabineñ. S. R. E. presbitero Cardinali Anconitano nuncupato audiendam commiserat, & fine debito terminandam. Et dictus Petrus Cardinalis in causa ipsa inter easdem partes : seu earum procuratores ad articulorum productionem : & admissionem : & diuersos alios actus (citra conclusionem) processerat. Et cū lite huiusmodi sic indecisa pendente idem Petrus Cardinalis debitum naturæ persoluisset, & successiue prefatus Clemens ab hac luce subtractus fuisset, Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, Dominus Paulus diuina prouidentia Papa tertius ad summi apostolatus apicem assumptus causam predictam bone memoriæ Laurentio Episcopo etiam Sabiniensi S.R.E. Cardinali Campegio nuncupato, tunc in humanis agenti, in statu, & terminis (in quibus tempore dicti Iohannis olim Episcopi erat) resumendam : & ulterius audiendam, ad Reuerendi in Christo patris, domini Valentini moderni Episcopi Hildesemeñ. instatiam, per specialem commissionem commiserat, & fine debito terminandam : Ipseq; Laurentius Cardinalis in causa huiusmodi procedens, pre-

fatum Valentini Episcopum ad prosecu-
tionem litis, & cause huiusmodi, in statu, & ter-
minis, in quibus reperiebatur, iuxta commissio-
nis, sibi desuper facte tenorem admiserat, & in-
ter partes ipsas de novo ad omnium termino-
rum substantialium obseruationem, & alios
actus (citra cause conclusionem) ac tandem su-
spenso ad ipsius, D. Valentini, Episcopi, seu eius
procuratoris instantiam petitorio in causa Spo-
lii huiusmodi duntaxat, & remissione ad iudi-
cem competentem processerat. Cum etiam
idem Laurentius Cardinalis de medio subtra-
ctus fuisset, ac prelibatus Dominus noster Pau-
lus Papa causam huiusmodi in statu, & termi-
nis, in quibus tempore obitus Laurentij Cardi-
nalis huiusmodi reperiebatur, & specialiter su-
per deuolutioe cause huiusmodi ad Romanam
curiam, & remissione illius ad iudicem compe-
tentem Reuerendissimo in Christo patri domi-
no Hieronymo tituli Sancti Clementis presbi-
tero Cardinali de Ghintitijs nuncupato, Ulte-
rius resumendam, & audiendam, ac in suo con-
sistorio Secreto referendam ad prefatorum do-
minorum Erici, & Henrici Ducum instantiam
commississet, ipseq; Dominus Hieronymus Cardi-
nalis Causam ipsam resumpsisset, & idem Do-
minus

Minus noster Paulus Papā (pr̄fato. D. Valentī
no Episcopo instantē) dicto domino Hierony-
mo Cardinali, ut (in euentū, in quem ipsi domi-
no nostro Papē uideretur remissionem prædi-
ctam de iure non faciendam) causam super spo-
lio huiusmodi per ipsum, D.N. Papā in eodem
consistorio suo Secreto decidendam audiret, et
referret, cōmisisset. Ipseq; D. Hieronymus Car-
dinalis in causa sibi cōmissa huiusmodi proce-
dens, partes ipsas hinc inde, etiam sepissimè au-
diuisset, & eorum informationes, acta, regestra
omnia, dicta testium, ac nonnulla iura, etiam in
vulgaris sermone Germanico formata, & in La-
tinum uersa, uidisset, legisset, & examinasset. Et
primum super articulo remissionis cause huius
modi faciendæ, uel non faciendæ per utramq;
partem allegata, in ipso consistorio Secreto ex-
posuisset, & narrasset, dictoq; articulo per eun-
dem D. N. Papam in præfato consistorio cum
Collegio Reuerendissimorum dominorum S.
R. E. Cardinalium discusso, & examinato.
Idem Dominus Hieronymus Cardinalis, post
quam pr̄fatus Sanctissimus Dominus noster ei
commiserat, ut super articulo Spolij supradicti
pcederet. Et postq; causa huiusmodi super di-
cto articulo Spolij instructa esset, Sanctitati suæ
in dicto

In dicto consistorio ipsius cause merita referret;
Repetitis pluribus intimationibus, & citationibus specialiter super articulo huiusmodi spolijs, ad dicti domini Valentini Episcopi instantiam factis, & diuersos terminos parti aduersae ad dicendum: & allegandum: probandum: ac deducendum: quicquid dicere: allegare: probare seu deducere uellet: & posset (pro ut in actis cause huiusmodi latius continetur) peremptoriè prefixisset, ac ea omnia ad huiusmodi relationem pertinentia: & necessaria (quæ in priori articulo referendo seruauerat) pro ambarum partium satisfactione, etiam in causa huiusmodi articulum spolijs referendo, seruasset: At tandem omnibus peremptorijs intimationibus: & terminis predictis, articulum spolijs huiusmodi: & omnia acta circa id facta in dicto Consistorio Secreto retulit. Idemque D. N. Paulus Papa in eodem Consistorio Secreto cū prefatorum Reuerendissimorum Cardinalium deliberatione: & consilio discusso, pro tribunali, more predecessorū suorum Romanorum Pontificum sedens, Prefatis dominis Erico, & Henrico Ducibus: & Consulibus, Consulatibus: ac Communitatibus Brunsuich, Hannouer, Northem: & Gottigen Oppidorum huius-

rum huiusmodi: ac Interesse habentibus: aut eorum Procuratoribus, seu negotiorum gestori, per Cursorem ipsius D. N. Papæ, ac etiam per Edictum publicum respectuè, ad dicendum contra omnia, & singula lura, in huiusmodi causa producta: & repetita: ac uidendum & audiendum reiterari omnes & singulos terminos substantiales, unico contextu, in uim commissionum dependentium: Deferri Iuramentum, in supplementum plenæ Probationis: Suppleri omnes, & singulos Iuris, & facti defectus, si qui in hac Causa interuenerant. Absolui eundem D. Valentini Episcopum ad effectum ualiditatis Sententiæ ferendæ: Necnon ad Concludendum: & audiendum Sententiam ad pri-
mum Consistorium Secretum tunc proximè futurum: Ferijs non obstantibus, ad instantiam eiusdem D. Valentini citatis, & dictis terminis per eundem D. Valentini Episcopum, unico contextu reiteratis, prefatum Dominum Valentini Episcopum ad præmissum effectum absoluit: ac Iuramentum prædictum sibi detulit: Ipseque Dominus Valentinus Episcopus ibidem personaliter constitutus, iuramentum huiusmodi præstítit: Ac idem Sanctissimus D. N. Omnes, & singulos Iuris, & facti defectus sup-

B

pleuit. Et in fauore dicti domini Valentini Episcopi sententiam dedit, & in scriptis protulit in hunc, qui sequitur modum, & formam.

HRISTI NOMINE INVO-
CATO. In throno iustitie pro tri-
bunali sedentes, & solum deum præ
oculis habentes, Per hanc nostram
diffinitiuam sententiam, quam de uenerabili-
um fratrum nostrorum Sanctæ Rom. Ecclesiæ
Cardinalium consistorialiter coram nobis con-
gregatorum Consilio, & assensu ferimus in his
scriptis, Pronunciamus, Decernimus, & Decla-
ramus, in causa, & causis, quæ primo in Sacro
nostro Rotæ auditorio, & successiuè coram di-
uersis Reuerendissimis dominis S. R. E. Car-
dinalibus respectiuè, inter Venerabilem fra-
trem nostrum Iohannem tunc Episcopum, &
dilectos filios nostros, Decanum, Canonicos,
& capitulum, singularesque personas ecclesiæ
Hildesheim. primo: Ac deinde Venerabilem fra-
trem nostrum Valentinum modernum Episco-
pum Hildesheim. in actis causæ latius expressos
ex una: Et dilectos filios nostros Ericum, &
Henricum Duces Brunswicen. ac Consules, con-
sulatus, & cōmunitates oppidorum Brunswich,

Hannover,

Hannouer, Gotting. & Northem respectiuē
aduersarios etiam in actis causæ latius expres-
sos, de, & super inuasione, Spoliatione, Occupa-
tione, ac detentione Castrorum Vintzenborg.
Vuoldenberg, Hundesrugge, Poppenborgh,
Scladem, Lauuenstein, Leuenborg, Vueidela,
Vynnenborg, Luther, Vuoldenstein, Vuester-
houe, Steinbrugge, Coldingen, Ruthe, Haller-
borg, Gronde, Ertelsen: & Oppidorum Al-
uelde, Bokelem, Szarstede, Gronau, Dassel,
Eltze, Bodenvuerder, Hamelem pro medieta-
te, nec non castellorum hereditariè Nobilibus
per Episcopum, & ecclesiam Hildesemeñ. in feu-
dum concessorum, præsertim Sodder, Oluer,
Nienhagen, Binder, Vuissenstein, Lymber,
Rheden, Bantelem, Rhetmer, Eldagessen, Ros-
singk, Bredenbeck, ac omnium aliorū Castro-
rum, Oppidorum, Castellorū, Municipiorum
ecclesiæ Hildesemensis (tribus duntaxat castris:
Videlicet Sturualde, Peyna, & Marienburg
exceptis) ac Villarum circiter mille cū suis ecclæ-
sijs parrochialibus, plurimq; Monasteriorum
Episcopo Hildesemeñ. in spirituali, & tēporali,
ac plena iurisdictione subiectorū, & fructuum
reddituum, ac prouentuū Castrorum, Oppido-
rum, Castellorū, Municipiorum, Monasterio-

B 2

18
16 p. 4.
8.

v. 11
2000.

rumque: eorundem uidelicet Siluis, nemoribus,
venerationibus, ac iure uenandi: Pasculis, pratis,
nontibus, uallibus, campis, domibus, ac ædi-
ficijs, omnibusque alijs ad ipsa castra, oppida,
Castella, municipia, & monasteria, ad ecclesi-
am, & ad Episcopum Hildesemeñ. quomodo.
libet spectantibus, & pertinentibus, ac meri,
& mixti imperij, nec non plenæ iurisdictionis,
ac superioritatis tam spiritualis, quam tempo-
ralis, Vasallorumq; Vasallagiorum, Feudorum
quocq; & feudalium, aliorumque bonorum o-
mnium eiusdem ecclesiæ Hildesemeñ. usurpa-
tione, ac finium, & limitum prædictæ diocesis
Hildesemeñ, amotione, Damnisq; etiam, & in-
teresse, ac exactiōibus, extorsionibus, expila-
tionibus, turbationibus, impedimentis, & di-
uersis uiolentijs eidem ecclesiæ Hildesemeñ. illa-
tis, illorumque spolio, cæterisque rebus omni-
bus, & singulis in actis causæ, & causarum hu-
iusmodi latius expressis, & deductis, & illorum
occasione partibus ex altera. Et uenerabilis fra-
tri nostro Hieronymo, S. R. E. tituli sancti
Clementis presbitero Cardinali de Ghinutijs
audiendis, instruendis, & in consistorio nostro
Secreto referendis commissis, & per eum no-
bis, & eisdem dominis Cardinalibus relatis, &
maturè

mature discussis, coram nobis in prima uersæ
fuerunt, & uertuntur instantia, IN VASIC
NES, Spoliationes, Occupationes, Detent
nes, Turbationes, finium amotiones, ac Iuris L
nandi usurpationes, damna, & impedimenta
tam respectu meri, & mixti imperij, ac plenæ
iurisdictionis prædictæ tam spiritualis, quām
temporalis, ipsi Episcopo, & ecclesiæ compes
teñ. quām alia quecumque impedimenta præ
dictorum Castrorum, Oppidorum, Castello
rum, Municipiorum, Villarum, Monasterio
rum, ac bonorū eorundem, fructuumque red
dituum, & prouentuum, Vasallorum, Vasal
lagiorum, Feudorum, & bonorum feudalium,
aliorumque bonorum omnium prædictorum
usurpationes. Etiam exactiones, extorsiones,
expilationes, ac iuramentorum fidelitatis, &
perpetui Homagij, que Duces prefati habue
runt post dictam inuasionem, tam ab ecclesia
sticis, & Clericis, quām laicis ecclesiæ Hildese
meni subditis, ipsiusque uasallis receptiones, &
extorsiones, per prefatos Ericum & Henricum
Duces, dictorumque Oppidorum Consules, &
Consulatus aduersarios prædictos respectiue
factas fuisse, & esse temerarias, indebitas, ini
quas, illicitas, & iniustas; temerariaque, inde

bita, iniqua, illicita, & iniusta. Nec non eosdem
inuasione, Spoliatione, Occupatione, Deten-
tione, & usurpatione, ac impedimentis dicto-
rum Castrorum, Oppidorum, Castellorum,
Municipiorum, Villarum, Monasteriorum,
& aliorum bonorum, iuriumque, & pertinen-
tiarum omnium, fructuumque &c. eorundem
tollendos, ejciendos, & amouendos fore, &
esse, ac tollimus, ejcimus, & amouemus. Nec
non præfatum Valentini modernum Epi-
scopum in, & ad corporalem, realem, & actua-
lem possessionem dictorum castrorum, Oppi-
dorum, Castellorum, Municipalium, Villa-
rum, Monasteriorum, feudalium prædicto-
rum, iurisque Venandi, aliorumque bonorum,
spiritualium, & temporalium, nec non meri,
& mixti imperij, ac iurisdictionis plenæ, & su-
perioritatis tam spiritualis, quam temporalis
totius diocesis Hildesheim prout præfatus olim
Episcopus Iohannes, & Ecclesiæ Hildesheim
tempore inuasionis prædictæ habebat, tenebat,
gaudebat, possidebat, & fruebatur, (ciuitate,
& tribus castris suprascriptis, quibus ecclesia
spoliata non fuit, in suo statu remanentibus)
Reponendum, Reintegrandum, & Restituen-
dum fore; ac Reponimus, Reintegramus, &
Restituimus,

Restituimus, Oppositiones, Perturbationes
Molestationes, Vexationes, inquietationes
Damna, & impedimenta quæcumque per E-
cum, & Henricum Duces, ac Consules, & Co-
sulatus Oppidorum respectiuè aduersarios præ-
dictos Iohanni olim, & Valentino Moderno
Episcopis Hildesemæ. præfatis, de & super
Spolio dictorum castrorum, Oppidorum, Ca-
stellorum, Municipiorum, Villarum, Mona-
steriorum, feudalium prædictorum, & eorun-
dem fructuum, & prouentuum, ac meri, &
mixti imperij, & plenæ iurisdictionis, & supe-
rioritatis, tam spiritualis, quam temporalis, ac
finium, & limitum amotione, aliorumque bo-
norum omnium prædictorum, & illorum oc-
casione quomodolibet factas, & præstitas, fa-
cta que, & prestita fuisse, & esse temerarias, illi-
citas, iniquas, indebitas, & iniustas, temeraria-
que, illicita, iniqua, indebita, & iniusta, ac de-
facto præsumptas, & præsumpta, illasque, &
illa Erico, & Henrico Ducibus, ac Consulibus,
& Consulatibus prædictorum Oppidorum re-
spectiuè Aduersarijs prædictis fecisse, aut facere
minimè licuisse, neque licere de iure : ac de, &
super omnibus, & singulis, & Spolio supradi-
ctis eisdem respectiuè aduersarijs perpetuum

silentium

lentium imponendum fore, & imponimus:
ac tam Ecclesiasticos, & Clericos, quam laicos,
tiam uasallos quo scumque dictæ ecclesie Hil-
desemæn. subditos, à quibus post inuasionem
prædictam Ericus & Henricus Duces, & alijs ad
uersarij prædicti, fidelitatis, & Homagij perpe-
tui, seu alia iuramenta per uim, aut alio modo
extorserunt, seu receperunt, à iuramentis hu-
iusmodi ab eis extortis, & quomodolibet de
facto præstitis, absoluendos fore, & esse, ac ab-
soluimus, illaq; inualida, irrita, & nulla fuisse,
& esse, ipsosq; ad Valentinum Episcopum pre-
dictum, & ad ecclesiam Hildesemæn. redire, il-
lique obedientiam, ac fidelitatis, & perpetui
homagij solita & consueta iuramenta præstare
debere decernimus. Reuocantes, ac annullan-
tes omnes, & singulas Concessiones, bonorum
infeudationes, seu alienationes de bonis prædi-
ctis ad ecclesiam Hildesemæn. seu Episcopum
quomodolibet spectantibus, & pertinentibus
per præfatos Duces respectiue factas, Ericumq;
& Henricum Duces, ac Consules, & Consula-
tus præfatorum Oppidorum respectiue aduer-
sarios prædictos in fructibus ex dictis Castris,
Oppidis, Castellis, Municipijs, Villis, Mona-
sterijs, Feudalibus, & bonis alijs omnibus præ-
dictis

dictis à tempore invasionis, Spolijs, occupatio-
nis, Detentionisque prædicatorum perceptis, &
qui etiam percipi potuerunt, Nec non omni-
bus illicitis exactiōibus per eosdem Duces,
præiudicium ecclesiæ Hildesemēn, quouis mo-
do factis, damnisque, & interesse, ac in expen-
sis pro parte Iohannis olim, & Valentini Mo-
derni Episcopi Hildesemēn, respectiuè prædi-
ctos in huiusmodi causa, tam coram omnibus,
& singulis iudicibus, ac commissarijs respecti-
uè prædictis, quām coram nobis propterea le-
gitimè factis condemnandos fore, & condem-
namus. Quorum fructuum, damnorum, inter-
esse, ac exactiōnum liquidationem, & expen-
sarum taxationem, nobis in posterum reserua-
mus. Supplentes omnes, & singulos defectus
tam Iuris, quām facti, si qui interuenerunt in
præmissis.

IN cuius Sententię fine erant hæc uerba ma-
nu eiusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ
scripta, uidelicet:

IT A PRONVNCIAMVS NOS
PAVLVS PAPA TERTIVS. Om-
misso Sigillo annuli piscatoris in prædicta ori-

C

ginali Sententia impresso. Quæ quidem Sen-
tia lecta, lata, & promulgata fuit per eun-
um Dominum nostrum Papam, Romæ apud
lectum Marcum, in suo Consistorio Secreto,
Assistentibus præfatis Reuerendissimis Cardi-
nalibus. Die Veneris, Vigesima septima Mensie
Augusti. Anni Domini Millesimi, Quingentesi-
mi, Quadragesimi. Pōtificatus sui Anno Sexto.
Præsentibus ibidem Reuerendis in Christo pa-
tribus Dominis Leonardo de Tornabonis adia-
cēn. & Durante de durantibus Algareñ. Epi-
scopis: ac Venerabilibus uiris Dominis Euria-
lo de Siluestris: & Julio de grandis, i sius
Domini Nostri Papæ Camerarīs,
Testibus ad præmissa uocatis
specialiter, atque
rogatis.

Et

СОИ ЗУМАЮЩАЯ А. Т. Б.
ио. ЗУТЯЕТ АЧАЯ ЗУЛУА
иошибаючи зиорали ииши оликои
©

Et quia Ego Blosius Palladius, publicus Sa-
cra Apostolica auctoritate Notarius, & si-
predicti Sanctissimi Domini Nostri Papæ
cretarius domesticus, de dictæ Sententiæ p-
latione: & alijs circa eandem in dicto Consil-
rio Secreto: Die: Mense: Anno: Pontificatu qù-
bus suprà: Indictione uero Tertiadecima actis
per eundem Sanctissimum Dominum N. roga-
tus unà cum prenominatis Testibus interfui: ea
que sic fieri uidi: & audiui: ac in notam sumpsi,
Idcirco presens publicum Instrumentum, Sen-
tentiam huiusmodi in se continens: alterius ma-
nu (me alijs negotijs impedito) fideliter scriptū,
exinde confeci, publicauit: & in hanc publicam
formam redigi: manuq; propria subscripti: Sig-
noque: Nomine: & Cognomine meis solitis: &
consuetis signauit. In fidem: & testimoni-
um premissorum rogatus speciali-
ter; & requisitus,

C. 2



VIDO ASCANIUS SFOR.
tia Sancte Marie in Cosmedin Dia-
conus Cardinalis de Sancta Flora
Sanctæ Ro. Ecclesiæ Camerarius,
In iuuersis, & singulis huiusmodi nostras literas
inspecturis Salutem in domino, & presentibus
fidem indubiam adhibere. Quoniam iustum
est, & rationi congruum ueritati testimonium
perhibere, Vniuersitati uestre, & cuilibet ue-
strum, tenore presentium intimamus, & notifi-
camus, ac testamur qualiter R. D. Blofius Palla-
dius, qui de suprascripto instrumento senten-
tiæ per Sanctissimum D. N. in Sanctitatis sue
consistorio Secrèto latè rogatus fuit, ipsumque
instrumentum in publicam formam rededit,
signoque, & nomine suis solitis, & consuetis,
ut supra signauit, subscripsit, et publicauit, tam
Data tempore ipsius instrumenti, quam du-
dum ante, & post fuit, & erat, prout hodie est
publicus Apostolica auctoritate Notarius, ac
eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ Secretarius do-
mesticus, bonus, fidelis, & legalis: & pro tali,
& ut talis, habitus, tentus, nominatus, & repu-
tatus, prout de presenti habetur, tenetur, no-
minatur, & reputatur, suisque scripturis & in-
strumentis publicis semper adhibita fuit, &
hodie

hodie adhibetur in iudicio, & ext.
indubitata fides. Et ne alicui super hoc
ri contingat, presentes nostras literas t.
niales de premissis fieri. Et per Notarium
strum Cameræ Apostolice infrascriptum i
scribi, Silligique, quo in talibus utimur, iussi
mus, & fecimus appensione communiri.

Datū Romæ in Camera Apostolica
die xiiij. Octobris M. D. XL.

Pontificatus prelibati
Sanctissimi in
Christo
P. ex D. N. D. Pauli
diuina prouideñ.

Papæ ij.
Anno
vi.


SIGILLATA, B. P. PAVLVS
ARDITIVS.


Francofordiæ, apud Chr. Egenolphum.
M. D. XL.

... siboni
... . Pe...
... n...
... misse de p...
... t...
... ...
... ...
... ...
... ...
... ...
... ...
... ...
... ...
... ...
... ...
... ...
... ...
... ...

SIGILLUM. S. MARIAE ANTONIE

M. D. 1522.





37¹⁰
- 9/6

X 1878913



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-189528-p0032-9

DFG



Farbkarthe #13

